



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

Capvt LIV. Qui, & cur, reliquis corporis membris, aut etiam toto corpore  
prodierint in lucem?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45686**

canis venatici speciem habebat; erat enim molossico rictu, & auribus, braccorum (vt vocant) more, flaccis ac dependulis. Erubuit partu mater; obstupuerunt, quæ aderant, nobiles matronæ; in tota domo trepidatum est. Consilium fuit, vt monstrum terra obrutum illico tegeretur, antè, quàm maritus domum rediret. Quod factum est. At herus domum reuersus primum habuit, vt quæreret, quid, se foris venante, vxor domi cepisset; aut peperisset? Tacuerunt omnes, & silentio rem dissimulare voluerunt. Suspectum fuit hoc silentium homini; & vt erat militaris, gladio è vagina educto, iubet sibi recentem partum ostendi, vel se aliud renuentibus ostensurum minatur. Metu exterrita vxor mandat vt monstrosa proles refodiatur. Quod tam triste spectaculum vbi est in medium allatum, ita iam ipso diuini honoris zelo animatior mulier coniugem suum est affata. *Videsne etiam coram oculis tuis, o marite, quàm manifesto prodigio omnipotens iudex, insanam in te venandi libidinem vindicari? qui, vt leporem posses capere, aut ceruo insidiari, nullo honore dies sacros, nulla reuerentia res ipsas sacras, nec adeò ipsum sacrosanctum Christi corpus affecisti. In nunc, & post iterum, neglecto templisq; debito cultu, feras sectare; i, cum canibus tempus consume, quod Deo debetur; accipies fructum venationis, pro filijs, canes.* His verbis, ac præcipue monstri tam deformis aspectu ita tactus est Nobilis, vt non solùm negligentiam suam lachrymis ac seriâ pænitentâ diluerit; verùm etiam imposterum præcipuis curis templa frequentârit. Deplorent suum Acteonem Poetæ à vertagis laceratum; hoc humano cane nullus vnquam alius canis aut iustiùs, aut salubriùs dominum momordit.

CAPVT LIV.

*Qui, & cur, reliquis corporis membris, aut etiam toto corpore monstri prodierint in lucem?*

**S** At punitur, qui capite luit, quod peccauit: quia tamen etiam reliqua humani corporis membra sæpe sunt scelerum instrumenta, seruiuntque iniquitati.

Ccccc 3

idcirco

idcirco monstrositas per reliquum quoque sese corpus diffundit. Vt enim taceam Antoninum Pium Imp. qui forma conspicuus, & statura decorus, ac longus fuit, tamen senectute incuruatus, tiliaticijs tabulis circum pectus positus fasciabatur, vt rectus incederet, & naturam corrigeret fatiscentem; certe non sine diuina vindicta quosdam, impositis in humeros molibus, Atlantes fieri testatus est Leo Byzantius, cui Passades gibberus valetudinem oculorum obiecerat; respondit enim illi: *Humanum vitium infligis mihi, qui dorso portas Nemesis.* Quare, si qui tales sunt, vel suo, vel parentum merito, vix natos infantes nimis superbe amantium, tribuere debent, si id illis euenit, quod Saxo & Cranzius memorant accidisse Ingoni Harald Hybernensis, Noruegiorum regis filio, omnibus honestatis numeris instructissimo, qui infantia suae tempore, per incuriam nutricis forte sinu delapsus, con fracto dorso, gibbum contraxit. Puniuntur saepe in filijs parentes. Quanquam haec etiam poena esse potest ipsorum qui patiuntur. Vnde per imprecantis modum praedicitur illis verbis: *Obscurentur oculi eorum, ne videant, & dorsum eorum semper incurua.* Quod vitium, vt a casu, ita potest & a natura prouenire errante, at errante vel ob parentum peccata, vel ad patientiae & demissionis occasionem, vel vt plectantur, qui curuantur; iuxta illud: *Posuisti tribulationes in dorso nostro.* Hoc est, dorso Nemesis portare. Alia crux, aliud onus alijs, his sarcina haec imponitur; quam etiam plerique senes coguntur gestare annis & morbis grauati, vt deorsum pressis oculis sepulchrum sibi quærant: ob quam causam & *silicernia* vocantur. Est igitur illis gibbus, velut cippus ac monumentum tumuli eos expectantis. Ita enim paulo post, non tergo tantum cumulato, sed saxo sepulchrali prementur; quo vt libentius eant, cum onere eunt. Onerati omnes, si sentiant onus, magis libentiusq; properant ad quietem.

Plectitur & vestium peregrinus luxus sua monstrositate; & saepe exprimit errans natura, quod male affectauit tumens superbia. Quid enim aliud sibi vult, circa Annum 1535 Bremaopyrgi in vrbe Marchiae infans, qui teste Fincelio, ita natus est in corpore circumflua & laxa cute, immo mole car-

Plutarch. de  
Vtil. ex inim.  
qui tamen  
lib. 2. Quæst.  
con. de filio  
Passadis hoc  
tradit.  
Saxo lib. 14.  
Cranz. lib. 5.  
Noruegiae  
cap. 9.

Psalm. 68. 24.

Psalm. 65. 12.

H.  
Conrad. Ly-  
sothen.  
Anno 1535.

nea, vt indutus sago militari Germanico crederetur? Fortasse infantis istius mater, sagram militare nimis curiosè aspexit? fortasse ita incedentem nimis fastuosè militem despexit? Nam talis dicere potuit: *Induantur, qui detrahunt mihi, pudore: & Pfal. 108: 29. operiantur sicut diploide confusione sua.* Denique quid si sago digna fuit sago? vt ad eò proles eius indicaret, matrem suam intus & in cute nihil valuisse?

Sæpe Deus irridet irrisores suos, aut suorum, eosq; ignominia notat, qui Diuo alicui notam volunt aspergere. In Anglicana historia de D. Thoma Cantuariensi hæc habet Polydorus Virgilius: *Rogerius vt homo facinorosus, cum sui furoris sociis episcopis, continuo in Normaniam aduolat, atq; ibi simul ad vlci- scendum ardentem regem aduent, apud eum nomen Thoma deferunt, eundem accusant, culpant, criminantur, quòd sacerdotij libertatem, quòd ius humanum pariter atque diuinum, quòd instituta maiorum euertere, corrumpere, delere deniq; conetur, quasi sibi tantum sumat, vt velit episcopos suo arbitratu Christianorum catu excludere, exclusosq; perpetuò exteminare: item regia prerogatiua derogare, ac cunctis ius ciuium tollere. Præterea s; quos sentiant in aula esse, qui inimico sint in ipsum Thomam animo, eos ardentem similiter inflammant, inflāmatos, armant, concitant ad machinandū illi perniciem, Sed ne plura, hæc & talia eiusmodi ita regem Henricum mouerunt, vt ira vehementer accensus aliquādo exclamarit: Me miserum, non possum in meo regno pacem cum vno sacerdote habere? nec quisquam meorum omnium est, qui me hac molestia liberare velit? Ex huiusmodi vocibus fuerunt improbi nonnulli quibus visa est occulta voluntas regis esse, vt Thomas è medio tolleretur, qui propterea velut hostis regis habitus, iam tum sic capie vulgo negligi, contemni, ac in odio esse, vt cum venisset aliquādo Strodum, qui vicus situs est ad Meduciam flumen, quod flumen Rocestriam alluit, eius loci accole cupidi bonum patrem ita despectū ignominia aliqua afficiendi, non dubitarint amputare caudam equi, quem ille equitaret, seipsos perpetuo probro obligantes: nam postea nutu Dei, ita accidit, vt omnes ex eo hominum genere, qui id facinus fecissent, nati sint instar mutorum animalium caudati. Sed ea infamia nota iam pridem vnacum gente illa eorum hominū,*

qui

III.  
Polyd. Virgil.  
l. 13. Anglic.  
hist.

qui peccarint, delecta est, Hæc Virgilius. In qua pœna Deus docuit, irrisiones redire ad irrisores. Quo enim adempto equum deformarunt, eo ipsi acquisito iumentis insipientibus sunt com-

parati. Delrius ait, Deo notum esse, num vltima particula à Polydoro in gratiam, an ex vero sit afficta; conuicium certè ingentem totam manasse, & durare inter homines. Simile diuinæ vltionis exemplum exhibet Dockumentum Frisiorum pœna, ob eorum Episcopum S. Bonifacium cum socijs cæsum, *Nam horum Sanctorum indignam mortem*, ait Cornelius Kempius, *in filios filiorum Deus vindicauit: vt passim ex eorum familiis (quorum maiores tam nefarium scelus perpetrarunt) in hanc diem videantur in occipite habere, grossos crines subalbi coloris, in modum caudæ cuiusdam bruti animalis, in se dixeris,*

*Sentit adhuc proles, quod commiserè parentes.*

IV.  
Ianson. to. 2.  
lib. 9. Mercurij Gallobelg.

Manuum quoque atque pedum monstra extitisse reperio. De manu mirabile quiddam narrat Iansonius, quod Anno 1594. Coloniae edidit, postquam id ipsum Lubecæ impressit Ioannes Balhorn. In Mechelburgensi Ducatu, quatuor circiter milliariibus Rostochio, ad oppidum Butzau pagus est Muisal, in cuius pagi templo, Anno 1594. pulpitum ligneum, antiquum, aridum, teredine exesum viuoque lapidi impositum fuit, quod proinde nullam inde potuit humiditatem contrahere. In huius suggesti Stylobata seu scapo, cum incredibili omnium stupore, atque inaudito portento, excreuit humana manus, digitis quatuor & pollice erectis, vnguibusque suis munita. Et palma quidem erat, sicut palmæ manuum ceterarum. In aduersa autem atque exteriori parte facies humana conspicebatur, oculis, naso, barbatoque ore prædita. Huic manui ne vita videretur deesse, in die, frequenter mouebatur, seque ipsam vertebat tanto conamine, vt vbertim sudauerit, & guttæ sudoris in subiectum lapidem defluerint. Ingens fuit ad hoc spectaculum concursus, summa admiratio, variæ interpretationes. Iansonius censet, vt per oculos intellectus in scriptura sacra intelligitur, seu fides; ita per manum opera. Vult igitur, ciues hoc monstro monitos, fidem & opera esse coniungenda; adeoque ex illa cathedra idem tunc significatū, quod

quod D. Paulus in epistola sua ad Hebræos significauit: *Re-* Heb. 12. 12.  
*missas manus erigite.* Porro verumne sit hoc prodigium, an fi-  
ctum, aut prætigiosum, ego non pronuncio. Fides sit penes  
authorem, iudicium penes lectorem.

Pro pedibus monstrosis haberi possunt, de quibus Ioan-  
nes Trithemius, Albertus Cranzius alijsq; Scriptores memi-  
nerunt. Anno Seruatoris 1012. imperante Henrico II. Ru-  
pertus pij nominis Ecclesiæ S. Magni martyr, in Saxonia,  
Sacerdos, nocte sacratissima Natiuitatis Domini, primum  
Deo sacrificium offerre cœperat, cum extra templi fores, in  
ipso cœmiterio, leuitati assueta quadam plebis turba, diuinis  
officijs insuper habitis, nugari cœpit, atque ludere. Præcipi-  
lus eorum fuit Othertus laicus cum alijs quindecim viris. Hi  
tres feminas nacti choreas ducere, eo loco & tempore, non  
sunt veriti. Quin profanis catilenis obstrepere sacrificanti,  
cumq; molestissimè turbare sunt ausi. Misit sacerdos æditi-  
mum, qui eos iuberet, nocte & loco tam sacris à petulantè  
impietate desistere. Saxeæ sunt impiorum corda, & cornæ  
fibræ ad vocem monentis. Quare neque saltatores isti desti-  
terunt. Quoniam igitur & canere turpia, & pedibus terram  
plaudere contumaciter perrexerunt, Presbyter diuino zelo  
correptus stans ad sacrosanctum altare dixit: *Faciât omnipo-*  
*tens Deus, ut per unum annum totum sic saltantes manere vos*  
*oporteat.* Exaudit cælum in terra clamantes, & non rarè eti-  
am penas dispensat, ad illorum voluntatem. Quare factum  
est, quod iustissima ira commotus fuit imprecatus. Et nullæ  
vnquam choreæ fuerunt admirabiliores. Saltarunt; saltarunt  
quindecim homines; saltarunt sine fidicina & choralistria;  
saltarunt nulla cithara chorum fuscitante; saltarunt per duo-  
decim menses; saltarunt continuò; saltarunt die ac nocte, nul-  
la quiete interposita; toto anno saltarunt; toto anno non e-  
derunt, non biberunt; toto anno non dormierunt; toto an-  
no nulla super eos pluuia cecidit; toto anno cæli iniurias non  
senserunt; neque eos æstate solis flagrantia, neque hieme  
Aquilonis rigor vssit: denique, cum essent in tam vehementi  
assiduoq; motu, at tamen neque labor eos deiecit, neque oc-  
cupauit

D d d d

V.  
Io Trithem:  
in Chron.  
monasterij  
Hirsaug.  
Cranz. lib 4.  
Saxon. cap. 3.  
Gilbert. Ge-  
nebrar. lib. 4.  
Cor. sub An-  
no 1012. Ab-  
bas Anhusan.  
in Stemmate  
Christi. die  
22. Decemb.

cupavit lassitudo. Ita saltatio ipsa, qua peccauerant, illis pro supplicio fuit. Sed neque calceos tanto tempore triuerunt; neque vestes vllas lacerauerunt, renouato pænè veteri Hebræorum prodigio. Vt autem & linguæ, quæ obscœna cantauerant, plecterentur, toto anno nihil ne mutauerunt quidem. Quippe etiam sollicitè interrogati, non responderunt. Nempe, quod est Græcis hominibus in prouerbio, *omnia intus canebant*. Vt autem laboris huius tantò luculentiùs appareret magnitudo, terra ipsa pedibus eorum conculcata cessit; & primò quidem depressior erat, postea fossæ vsque ad genua, deinde etiam vsq; ad femora immersi, tandemque vix mediij eminuerunt, vltimò semper Inferno fierent propinquiores. Conabatur quidam sororem suam, arrepto brachio illius, de medio saltantium choro vi extrahere; sed maior fuit vis saltantis, illa enim ipsa potiùs fratri pertinaciter tenenti brachium abruptit, immaniter vociferanti, cum interea soror nullam vocem mitteret, neque quidquam se pati ostenderet, sed choream cum reliquis inceptam indefinenter continuaret. Porrò de abrepti brachij vulnere nulla sanguinis stilla defluxit, quasi membrum illud ligneum, non carneum extitisset. In hoc circulo cœmisterij, totum anni circulum saltando absoluerunt. Finis anni erat, quæ sacerdos præscripserat, & diuinæ gubernationis prouidentia adfuit S. Heribertus Colonienfis Archiepiscopus, qui in cœmisterium intrans, saltantes à maledicto absoluit introductos. que in templum Domino conciliauit. Conciliatorum triplex fuit euentus. Fæminæ mox obierunt. Virorum quidam diutius superuixerunt; sed in diuinæ vindictæ argumentum, fecerunt omnium membrorum tremore, obuiantium oculis pœnarum suarum vestigia ostenderunt: quidam verò paulo post ex hac vita euocati sunt, & quod mireris, post mortem feruntur etiam miraculis claruisse, vt videas improbissimis quoque veniæ locum esse, si calamitates à Numine immittas sustineant, animo peccata sua seridò, atque, vt par est, retractante.

VI.  
S. Basil. hom.  
14.

Quemadmodum igitur in superiore exemplo manus, ita in hoc pedum monstrosa commotio mortales docuit, cauere peccata, & benefacere. Quid est saltare, aiunt? quid nocet cantare?

cantare? Respondet D. Basilius: *Cantus profanos exerces, obli-  
tū psalmodum & hymnorum quos didicisti. Mōves pedes, & insanus  
saltas, choreas ducis imprudens, cūm genua ad Dei & Domini  
nostri IESV Christi cultum flectere oportebat. Quod planè fecit  
cum socijs Othertus; qui etsi non oblitī Psalmodum & hym-  
norum, quos fortè nunquam didicerant, tamen diuinos in Ec-  
clesia cantus neglexerunt, & profanis cantilenis, tanquam Si-  
renes, aures sacras vulnerarunt, eoq̄ue tempore pedes ad nu-  
merum mouerunt, quo genua ad Dei & Domini nostri IESV Chri-  
sti cultum honorandamq̄ue eius Natūuitatem flectere oportebat.*

D. Augustinus, de ijs, qui res sacras non negligebant, sed adi-  
bant, & alio tempore tamen in sanctiore loco saltitare consue-  
uerant, ita loquitur. *Isti infelices & miseri homines, qui balatio-  
nes & saltationes ante ipsas basilicas sanctorū exercere nec metunt,  
nec erubescunt, etsi Christiani ad Ecclesiam venerint, pagani de Ec-  
clesia reuertuntur, quia ista consuetudo balandi de paganorum ob-  
seruatione remansit.* S. Ephrām. *Ubi cithara, inquit, ac chori, &  
plausus manuum, ibi virorum tenebra, & mulierum perditio, An-  
gelorum tristitia, & diabolifœstum. O improbum diaboli consilium.*

Verum est, choreas moderatas in nuptijs, aut amicorum ho-  
nestis conuentibus, posse sine peccato institui; periculosum  
tamen est saltare, more præsertim Germanico, non solum cle-  
ricis & religiosis, quibus choreæ lege Ecclesiastica vetantur,  
sed etiam laicis; vix enim vnquam tanta moderatio adhibetur,  
vt post epularum lautitias, in mulierum confessu, conspectu,  
auditu, & alloquijs, inter puellarum rotationes, apprehensio-  
nes, & allubentias, non sit pronissimum inardescere. Ob quam  
causam olim, teste Basilio. *Quando sedit populus manducare &  
bibere, tunc & surgebat ad ludendum: lusus verò illorum idololatria  
erat. Tunc Leuita contra fratres sese armantes ex eis viginti tria  
milia ceciderunt, sic enim manus suas, inquit historia, consecrarunt.  
Quamobrem vt vidit Moyses choros, iratus est valde, proiecit ta-  
bulas, & confregit eas.*

Plurà malè simul ac infelicitè saltantium exempla re-  
censet Thomas Cantipratensis D. Thomæ Aquinatis æqualis.  
Sed non opus est longè petere. Habet & nostra ætas quotidia-  
na exem-

S. Basil. homi-  
14.

S. Augustin.  
serm. 217.

S. Ephrām.  
serm. quod  
ludicris abstin-  
end.

c. Presbyteri  
dist. 34. ex c.  
Laod. c. 29.

S. Basil. loc.  
cit.  
Exod. 32. 6.

Exod. 32. 19.

VII.  
Thom. Can-  
tipr. lib. 2.  
Apum. c. 32.

D d d d d 2

na exem-



na exempla. Non enim dicam, illam ipsam Natiuitatis Christi sanctissimam noctem, plurimis puellarum, mulierumq; superstitionibus ac dæmonum adiurationibus transigi; & verò plerumque, quò sacratiora sunt tempora, eò diriora scelera perpetrari, sagasq; & maleficos ad sacrilegas suas choreas conuenire; quid consuetius est & vulgò vſitatus, quàm vt ludi, conuentus, comestationes, saltationes diebus maximè festis instituantur? Ita tempus diuinis cultibus consecratum, diabolicis operibus profanatur. *Ubi enim saltus lasciuus, ait S. Chrysoſtomus, ibi diabolus certè adest. Non enim ad tripudia hæc nobis præbuit Deus, sed vt modeste incedamus: non vt impudenter camelorum modo saliamus: Nec enim solum femina, sed etiam cameli turpiter saliant; sed vt in Angelorum choris consistamus. Quòd si corpus deforme fit impudenter saliendo, quanto magis animam fœdari credendum est. His tripudijs diabolus saltat. His à dæmonum ministris homines decipiuntur.* Itaque, quisquis es, *Obserua diem Sabbathi, non carnaliter, non Iudaicis delicijs, ait S. Augustinus, qui otio abutuntur ad nequitiam. Melius enim otium tota foderent, quàm tota die saltarent.* Pedes dati sunt, ad ambulandum, non ad lasciuè saltandum. Illis, die sacro, ad ædes sacras, non ad popinas eundum est. Duplicem esse viam Magister noster esse dixit, vnã, qua ad cælum, alteram, qua ad Orcum tenditur. Per Ecclesias ad cælum, per cauponas ad Acherontem est iter. Ad vtrumlibet nos possunt pedes nostri portare. Tartara fugiamus, sidera petamus. *Id autem, inquit D. Gregorius Nazianzenus, agens de Natali Christi festo rectè celebrando, hæc demum ratione consequemur, si nec domus liminis fertis coronemus, nec choreas agitemus, nec vicos ornemus, & cum promptis ad vitium vijs, peccatiq; ianuis, &c. nec comestationibus & ebrietatibus, quia malorum magistrorum mala doctrina est, vel potiùs malorum seminum mala seges. Vis videre quàm mala seges? Quemadmodum supra dicti nouemdecim homines, quò diutiùs saltarunt, eò, terra sub pedibus eorum cedente, profundius merſi inferis facti sunt viciniore; ita & isti tales, non cadunt, sed saliant infelices Curtij in voraginem æternorum suppliciorum. Non ego hæc solus affirmo, maior me id pronunciauit,*

S. Chrysoſt.  
hom. 49. in  
Matth.

S. Augustin.  
in Pſal. 31.  
Conc. 1.

S. Greg. Na-  
zianz. orat. in  
orat. de Chri-  
ſti Nat.

nunciavit. Nam Iob, cùm dixisset: *Egrediuntur quasi gre-* Iob 21. 11.  
*ges paruuli eorum, & infantes eorum exultant iustibus, subiecit,*  
*Tenent tympanum & citharam, & gaudent adsonitum organi. Du-*  
*cunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* O quàm  
 sunt miseri isti, quàm infelices pedes eorum! qui non de saxo sa-  
 liunt, sed de Mundo in sepulchrum, de sepulchro in infernum.

Non motu tantùm, sed forma quoque, neque vno dun-  
 taxat membro, sed pluribus alij fuere in monstrum (vel sua,  
 vel parentum culpa) deformati. Baccharach oppidum est in  
 ipsa Rheni ripa, inter Confluentiam & Moguntiam situm.  
 Aiunt, olim *Bacchi aram*, ob vini ibi nascentis præstantiam  
 fuisse nominatum. Ibi homo degebat mortalium & immorta-  
 lium contemtor, cuius deus venter, templum popina, patro-  
 nus cantharus. Hic Anno Domini 1595. die 14. Martij, ipsa  
 Dominica quinquagesimæ, ne moris sui obliuisceretur in cau-  
 ponam se coniecit, vsque ad vomitum potaturus, iustus vsq;  
 ad paupertatem. Vxor, postquam eum è domo elapsum ami-  
 sit, facilè coniecit, vbi locorum quærendus esset. Quia igitur  
 partui vicina, verita est, ne totum peculium puerperio suo  
 imminenti necessarium abliguriret maritus, secuta eum roga-  
 re, & mitibus verbis monere cœpit, vt tandem finem impone-  
 re comestationibus, & secum redire domum vellet antè,  
 quàm omnia degularet. Ebrios faciliùs est ducere, quàm  
 ebriosos. Hinc & iste non satiatus, facessere vxorem, & in  
 malam rem ire iussit; monere pergentem & jam accensius ob-  
 loquentem, verberibus abegit, iussitque eum viuo suo malo  
 dæmone, quem in vtero gereret, quiq; illi in partu, pro Lu-  
 cina futurus sit, domum, vnde malum pedem attulerat, rebi-  
 tare. Ni parèret, se gladium suum illi capulo tenus in ventrè  
 immerfurum. Illa verò: Eia, inquit, mi vir, Ergone ego  
 viuum in vtero gero dæmonem! Esto igitur. Nec plura locu-  
 ta, acerbè lachrymans ad ædes suas reuersa est, relicto inter-  
 edones & combibones aleatoresque marito. Vix domi appu-  
 lerat, cùm dolores partus sensit; siue quòd iniuriæ acerbitas,  
 siue quod diuina vindicta, siue vtrumque, partum ante tempus  
 maturauit. Vocatur obstetrix, adsunt vicinæ mulieres, editur

VIII.

Ianson. l. 3.  
 lib. 12. p. 184.  
 & Michael  
 Iffelt. l. 12.  
 Mercurij  
 Gallobelg.  
 Anno 1595.

in lucem factus! ô qualis, quàm horribilis! quamque prodigiosus! Anteriore superioreque parte homini, inferiore posterioraque parte per omnia serpenti similis. Trahebat autem post se caudam tribus vlnis longam diuersicoloribus maculis variegatam. Hoc tam horrendum monstrum; tanquam stello Cereris, non diutiùs vixit, quàm quoad munere suo perfectum esset. Munus autem erat, non tantum formidinem injicere ijs qui aderam, & (velut olim curiosæ illæ

Quid, lib. 5.  
Met.

Idem, lib. 2.  
Met.

*Erichthonium prolem sine matre creatam,*

*Infantemque vident, apporrectumque draconem.)*

Monstrum bifforme conspexerant; verum etiam ut reducem ex hospitio parentem pro merito plecteret, ostenderetque; quàm sint imprecationes efficaces, redeuntibus per iugulum auctoris, unde malè exierunt, Diris. Phæax igitur ille, cum libidinem suam potando ludendoque; satis expleisset, vino & somno plenus domum rediit. Vix ingressus est cubile, in quo & puerpera, & partus iacebat, & ecce monstrum recens natum instar falconis in eum illatum est, horrificeque; sibilans hominem caudæ suæ spiris implicatum, venenosis ictibus, eum in modum, pupugit flagellauitque; ut toto corpore tuberibus pleno, paulo post infelicem animam priùs, quàm crapulam exhalaret. Coniuge defuncto, puerpera quoque extincta est. Sed & monstrum viuere desijt, quo Deus puniuit viri in prægnantem uxorem inclementiam & crudelitatem; ut alij discant & linguam frænare, cohibereque; ab imprecando; & manum abstinere à coniuge vterum ferente, quam si percutiunt, duos percutiunt, quorum saltem alterum oportet esse innocentem. Quid enim potest peccare infans nõdum natus? & tamen cum matre sua verberatur. Profectò si verba malè precantia ad illam usque in aluo iacentem penetrant; longè certius verbera illuc penetrabunt, & calces, quibus in matrem ariebat pater, non iam ebriosus, sed furiosus.

IX.

Inter omnia monstra, res est monstróssima peccatum. Quid ergo mirum, si monstris puniatur? Minatus est hoc dudum Deus, cum diceret: *Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis. Consumantur fame, & deuorabunt eos*

aut

aves morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atq; serpentium. Quod hic minatus est, luculentè fecit sapius, sed monstro prorsus inuisissimo, contra Morindum Britannia regem. Fuit hic rex aspectu formosissimus, manu fortissimus, mente crudelissimus. Inuaserat eius prouinciam rex Morianorum, quem Morindus, exercitu comparato, felicissimè vicit, immanissimè tractauit. Nullus ex hostibus viuus euasit. Iubebat enim Morindus vn̄ ex alio ad se adduci, vt sua quemq; manu perimens animum cruoris sitientem exfatiaret. Cæde ingenti fatigatus super aggeres occisorum absidens mandauit, vt qui superfuerant viuū excoriarentur, atque excoriati flammis in cineres redigerentur. Ingentes vbique relucebant pyræ. Spectaculum erat tristissimum, & vel Caucaſo miserandum. At non diu absuit diuina vltio. Mox enim ex Hibernia aduenit formæ longè monstruosissimæ, & inauditæ feritatis bellua. Hæc primò maritimos incolas inuasit, eosq; lachrimandum in modum laceratos absumsit. Narrata est clades Morindo, qui, armata suorum manu eomitatus, accessit cum ea certaturus, & immanitatis suæ mercedem accepit. Omnia tela emissa in irritum ceciderunt. Siquidem ea sine noxa hausit monstrum. Pharetris omnibus euacuatis, monstrum ad regem accelerauit, eumq; diductis faucibus, pisciculi instar, deuorauit. Dubites, vtrumnam monstrum fuerit maius? quod deuorauit alterum, an quod est deuoratum? Rex enim Morindus vn̄icus fuit, & tamen innumeros absumsit.

At erat vorax illud prodigium Britannici maris partus, alius humanus partus, qui nihil omnino humani habuerat, ab alijs describitur, quos vt inter multa mendacia demus etiam aliquid veri attulisse, non piget hic referre. Anno salutis 1544. in Belgio ( licet non desint, qui Cracouia scribant ) in die Conuersionis S. Pauli, natus est ex honestis & nobilibus parentibus infans ( si infantis nomen meretur tam infelix partus ) tetro admodum & horribili aspectu, flammeis oculis & radiantibus; ore naribusq; bouinis, & vehementer in figuram cornu exsertis ac prominentibus; dorso pilis caninis hispido, simiarum

Gastius pag.

36.

X.

Wolfius Cen.  
tur. Caspar.  
Peucer. Mun-  
ster.

simiarum faciebus in pectore extantibus; quàm mammarum locus; oculis felium subtus umbilicum hypogastrico affixis; horridis ac minacibus canum capitibus ad utrumque; cubitum, & pedis utriusque; patellam antrorsum spectantibus. Figura pedis cygni, cauda sursum reflexa & recurua longitudine vltra dimidiã erat. Hic talis partus in lucem editus dicitur quatuor horas vixisse, ac tandem expirasse his emissis vocibus: *Vigilate; Dominus Deus vester aduenat.* Non est hoc monstrum in peccati pœnam natum? at natum est, ne peccaretur. Enimvero & in peccati pœnam. Dixit olim Seruator noster: *Nisi signa & prodigia videritis, non creditis; quid dicet in futuro iudicio ihs, qui signa hæc talia viderunt, audierunt, & tamen non crediderunt? Nunquid pertinacia malitiam, malitia supplicium est auctura?*

Ioan. 4. 48.

### CAPVT LV.

*Punitorum monstrosa lepra, & monstrosa statua,  
è diuinis litteris explicata.*

I.

Deuter. 6. 22.

4. Reg. 15. 5.

4. Reg. 5. 27.

Deuter. 24. 8.

**M**onstruosos vel homines, vel morbos, ex Numinis pœna extitisse diuinæ quoque litteræ testantur. Nam in primis fecit signa atque prodigia magna & pessima in Aegypto, contra Pharaonem; quæ nolo hic repetere. Deinde, in eodem veteri testamento lepra fuit flagellum, quo Deus rebelles atque eos, qui superiores maximè Ecclesiasticos contemnebant, percussit. Sic enim rex Ozias, cum vellet, inuitis sacerdotibus, incensum adolere, lepra percussus est. Sic Eliseus Giezi mentienti dixit: *Sed & lepra Naaman adharebit tibi, & semini tuo, usque in sempiternum.* Sic Maria perfusa est lepra, quod contra Moysen murmurasset. Immo hoc ipsa lex monuit his verbis: *Observa diligenter, ne incurras plagam lepræ, sed facies quæcunque docuerint te sacerdotes Leuitici generis, iuxta id quod præcepi eis, & imple sollicitè. Memento qua fecerit Dominus Deus vester Maria.* Vbi obseruant authores, tametsi lepra sæpe sit morbus, siue vitium naturale, tamen sæpe etiam ex speciali Dei prouidentia fuisse Iudæis immisam, maximè autem